





VNIVERSÆ
THEOLOGIÆ SPECVLATIVÆ
THEOREMATA
Studio Triennali complexa.

ET

Sub tempus Capituli Prouincialis
VARSAVIÆ
celebrati

Publicè à Patre DOMINICO CZEPANSKI
Augustiniano Theologo

In Cænobio
S. MARTINI
Patrum Augustinianorum

PROPVGNATA

Anno Domini 1685. Mense Novembri
Die 26

EX PRIMA PARTE

De Natura & Obiecto Theologiæ.

PRæter Physicas disciplinas, datur Theologia seu Sacra doctrina diuinitùs reuelata, quæ hominibus necessaria est ad salutem. Non est Scientia rigorosè sumpta: distinguitur realiter ab habitu Fidei, nec subalternatur Scientiæ Beatorum; nec manet habitus Theologicus acquisitus in via, idem in Patria. Obiectum eius Materiale adæquatum, est omne id, de quo tractat: Formale verò propter quod, est reuelatio huius præmissæ reuelatæ, & euidentia alterius naturalis. Omnibus Scientijs dignitate excellentior est, sicut & certior certitudine formali & obiectiuâ. Magis speculatiua est quàm practica, si spectetur secundùm finem suum intrinsecum. Conclusio Theologica deducta ex una præmissa reuelata, & altera naturali euidenti, vel probabili tantùm, aut ex duabus reuelatis, non est supernaturalis, unde ut talis non est de Fide.

De Attributis Diuinis.

NAturali lumine euidens est, Deum esse. Hæc propositio; Deus existit, est per se nota secundùm se: Licet enim existentia Dei non sit demonstrabilis à priori, bene tamen à posteriori, cuius proinde nequit dari ignorantia inuincibilis, & inculpabilis positiua, Deus est ens per essentiam, Ens à se negatiuè, Ens totum Vniuersalissimè & in-

finitè; Ens ſimpliciſſimum & actus purus, eſſe primum fontale & radicale. Differentia conſtitutiua Deitatis, nec eſt aſſeitas, nec intellectio Subſtantialis per eſſentiam, nec infinitas actualis formaliter, aut materialiter ſumpta; ſed infinitas radicalis exigitiua, & formalis implicita. Omnis perfectio realis exiſtit in Deo vel formaliter, ſi ſit perfectio ſimpliciter ſimplex, vel eminenter, ſi ſit perfectio ſecundùm quid. Attributa Dei ab eſſentia & inter ſe, nec realiter, nec formaliter ex natura rei, ſed ratione ratiocinatâ diſtinguuntur.

De Viſione D E I.

NUllus intellectus creatus Deum intuitiuè cognoſcere poteſt per vires naturæ; nec oculus corporeus exiſtens aut poſſibilis eleuari poteſt ad videndũ Deũ. Non implicat Species impreſſa Dei, reuera tamen actu non datur, cuius defectum ſupplet Eſſentia Divina. Ad Viſionem beatam requiritur lumen gloriæ, ſine quo de potentia ordinaria nullus poteſt videre Deum. Munus luminis gloriæ non eſt diſpoſitio materialis ad receptionem eſſentiæ Divinæ ut ſpeciei impreſſæ, nec ad viſionem recipiendam, ſed complere potentiam, & cum ea concurrere ad viſionem, ad quam intellectus creatus ita concurrit, ut nec diuinitùs ſine eius concurſu poſſet elici; concurrit tamen intellectus ad viſionem, ut cauſa ſolùm inſtrumentalis. Beati vident in Deo formaliter & diſtinctè eſſentiam Dei, Trinitatem Perſonarum, attributa omnia, ſecundùm proprias & primarias rationes: poſſet tamen abſolutè videri Eſſentia Dei ſine Perſonalitatibus, & unum attributum ſine aliis. Inæqualitas

litas Visionum, peti debet ex lumine gloriæ. Nulla est possibilis creatura, cuius intellectus eleuari possit ad Deum comprehendendum.

De Scientia DEI.

DAtur in DEO Scientia, cuius radix est immaterialitas. Non solùm essentia diuina, sed etiam prædicata DEI absoluta & relatiua, sunt obiectum primarium cognitionis diuinæ; seipsum & obiecta creata cognoscit distinctè & cōprehensiuè. Scientia DEI adæquatè diuiditur, in scientiam simplicis intelligentiæ, & Visionis. Obiectum Scientiæ simplicis intelligentiæ sunt res possibiles, quas cognoscit in sua Omnipotentia, tanquam in obiecto formali, & medio prius cognito. Obiectum Scientiæ Visionis sunt futura, quæ non cognoscit antecedenter ad decretum in suis idæis, nec in causis liberis, sed in decreto suæ voluntatis. Deus cognoscit certò & infallibiliter futura conditionata, quorum cognitio, non est scientia Media, sed libera, fundata in decreto actuali absoluto subiectiuè, & conditionato obiectiuè. Scientia simplicis intelligentiæ est causa productiua rerum in actu primo, Scientia verò visionis, non quà visionis est, sed quà approbationis, est causa productiua rerum in actu secundo.

De Voluntate DEI.

EST voluntas in DEO, diuiditur in antecedentem & consequentem; Voluntate antecedenti vult Deus omnes homines saluos fieri, per quam præparauit DEUS homini existenti in natura lapsa, media sufficientia ad salutem. Obiectum formale motiuum Diuinæ voluntatis, est sola

bonitas increata. Deus diligit seipsum necessariò & quòad specificationem, & quòad exercitium: creaturas verò existentes & futuras amat liberè, possibiles autem nullo modo. Decretum liberum Dei, non consistit adæquatè in denominatione extrinseca, sumpta ab actione transeunti, nec in perfectione extensiua, superaddita perfectioni necessariæ ab illa ratione distincta, nec in modo aliquo reali, sed in actualitate actûs necessarii, ut ad creaturas liberè terminata.

De Prouidentia, Prædestinatione, & Reprobatione.

DEus est perfectè prouidus, qui omnia creata curat, gubernat, & in proprios fines dirigit. Prouidentia Dei non consistit formaliter in actu voluntatis, nec in actu intellectûs & voluntatis, ita ut in recto dicat utrumq;, sed in solo actu imperii. Prædestinatio est tantùm pars obiectiua prouidentiæ Diuinæ, quæ; sicut prouidentia, formaliter consistit in imperio intellectûs Diuini. Electio efficax adultorum ad gloriam, est ante præuisa eorum merita. Opera Christi Domini, fuerunt causa meritoria prædestinationis nostræ, quò ad omnes eius effectus, purus homo non potuit mereri de congruo prædestinationem quòad omnes eius effectus. Omnia auxilia Dei, actus supernaturales, iustificatio, glorificatio, sunt effectus prædestinâtionis, non item permissio peccati. Prædestinatio est certa & infallibilis. Plures sunt reprobati, quàm prædestinati, quorum numerus est certus non solùm formaliter, sed etiam materialiter. Nullum Deus absolutè & efficaciter reprobauit, ante præuisa peccata hominis absolutè futura. Peccatum originale

est

est motivum voluntatis efficacis, excludendi reprobos à beatitudine, quibus non est remissum, quibus verò est remissum, movetur Deus ad eos reprobandos per peccatum actuale mortale prævisum, nunquam dimittendum. Perseverantia in peccato, non est effectus reprobationis, benè verò pœna æterna damni & sensûs.

De Celsissimo Trinitatis Mysterio.

TRes in Diuinis sunt Personæ, realiter distinctæ, eiusdem naturæ omnino indiuisibilis, Pater scilicet, Filius, & Spiritus Sanctus. Dantur in Diuinis duæ processiones, quarum vna est per intellectum, altera per voluntatem. Processio Verbi est propriè generatio, non item processio Spiritûs S. Nec Essentia Diuina, nec relatio per se est principium proximum diuinarum processionum, sed intellectus & voluntas, prout connotant relationes. Terminus formalis diuinarum processionum vt actiones productæ sunt, est relatio personalis. Quatuor sunt in Deo relationes reales, Paternitas, Filiatio, spiratio actiua, & passiua: non distinguuntur ab essentia Dei realiter, nec formaliter ex natura rei, sed ratione ratiocinatâ. Dantur in Diuinis præter vnam subsistentiam absolutam, tres relatiuæ, quod idem assero de existentijs. Personæ Diuinæ constituuntur & distinguuntur proprietatibus relatiuis, non absolutis. Verbum Diuinum procedit per se ex cognitione omnium Diuinorum, creaturarum possibilium, non item futurarum. Spiritus Sanctus procedit à Patre & Filio, & si à Filio non procederet, non distingueretur ab illo realiter. Processio Spiritûs S. necessariò & per se exigit plura supposita,

SUbstantiæ completæ Angelicæ, non admittunt compositionem ex forma & materia etiam spirituali, cùm talis repugnet materia. Omnes multiplicantur Specie. Existunt verè & propriè in loco, ratione operationis, seu quantitatis Virtutis Angelicæ; cognoscunt per species vniuersales, & quantò Angelus fuerit superior, tantò eius Species est vniuersalior. Creati erant in Beatitudine naturali. Gratiam sanctificantem obtinuerunt per propriam dispositionem; & Beatitudinem supernaturalem per sua merita. Primùm peccatum eorum fuit Superbia: in primo instanti tamen suæ creationis non potuerunt peccare, contra præceptum aliquod supernaturale, cùm ipsis debebatur prouidentia Diuina. Puniuntur in inferno, pœnâ damni & sensûs per alligationem physicam ad ignem corporeum, qui in ipsis verum producit calorem. Inferiores Angeli illuminantur à superioribus per locutionem, quâ vnus liberè ordinat suum conceptum ad alterum, ex intentione manifestandi ipsi aliquod obiectum.

EX PRIMA SECVNDÆ.

De Beatitudine supernaturali.

FInis vltimus creaturæ rationalis, est Beatitudo supernaturalis. Hæc diuiditur in Obiectiuam, & Formalem. Obiectiua consistit in ipso DEO. Formalis in actu secundo vitali immanente, & ita quidem, vt nec diuinitùs possit consistere in visione, aut amore Diuino, nobis per modum actûs vitalis communicato: immò per impossibile si intelle-

tellectio à ſolo Deo produceretur, & intellectui creato in-ſunderetur, illum non redderet actu videntem Deum. Sola Viſio Dei conſtituit Formalem Beatitudinem, prout ſumitur pro fonte primordiali actuum beatificantium. Perpetuitas eſt eſſentia Beatitudinis, æquè ac incorruptibilitas, immò & cognitio earundem eſſentialiter requiritur, ad actu beandum & ſedandum appetitum. Impeccabilitas conuenit Beatis ab intrinſeco, vi Viſionis Beatificæ. Tribus animæ beatæ in Patria gaudent dotibus, Viſione clarâ Dei, Comprehenſione, & Fruitione. Ex gloria animæ, quatuor redundabunt perfectiones ſupernaturales in corpus: Impaſſibilitas, Subtilitas, Claritas, & Agilitas, illud diſponentes ad vnionem indiſſolubilem cum anima, & vt illi ſubijciatur.

De Actibus Humanis.

VOluntarium rectè definitur, quod ſit à principio intrinſeco cùm cognitione, reperitur in brutis imperfectè, nō conuertitur cum libero, ad voluntareitatem omiſſionis, non requiritur debitum aut præceptum non omittendi. In ſtatu naturæ lapſæ per Chriſtum reparatæ, datur libertas indifferentiæ, etiam reſpectu actionum ſpiritualium & ſupernaturalium; quæ nihil aliud eſt, quàm id quod poſitis omnibus prærequiſitis, poſſit agere, & non agere: inter quæ requiſita voluntatis liberæ ad operandum, quæ ſola formaliter eſt potentia libera, non numero prædeterminationem Phyſicam. Libertas eſt intrinſeca actibus elicitis, & formaliter importat ipſam entitatem Phyſicam actûs eliciti,& de connotato indifferentiam voluntatis, & iudicii proponentis

nentis

nentis obiectum. Non potest Deus inferre violentiam creaturis, qualitercunque eas mouerit, sicut nec voluntati creatæ, quòad suos actus elicitos; benè verò in cessatione à suis actibus, siue sint eliciti, siue imperati. Quæ fiunt ex metu etiam graui, sunt simpliciter voluntaria, inuoluntaria secundùm quid. Nullus metus etiam mortis, modò rationem non perturbet, & libertatem non auferat, excusat à peccato operationes contra prima principia iuris naturalis. Excusat verò operationes, quæ fiunt contra leges positiuas, tàm Diuinas, quàm humanas: quod intellige tunc verum esse, quando non adimpletio legis positiuæ, Diuinæ, aut humanæ, non cedit in contemptum fidei, Religionis Christianæ, aut in scandalum proximi. Concupiscentia non causat inuoluntarium, immò antecedens auget illud, prout est commune brutis, minuit verò rationem voluntarij perfecti, quia minuit indifferentiam iudicii. Ignorantia antecedens causat simpliciter inuoluntarium; consequens non causat, nisi secundùm quid: concomitans autem causat inuoluntarium negatiuè tantùm. Solum illud bonum, quod habet rationem finis, est obiectum formale quod adæquatum, & specificativum voluntatis. Voluntas nec de potentia absoluta potest ferri in obiectum incognitum, quam intellectus mouet in genere causæ formalis extrinsecæ. Appetitus sensitivus nunquam mouet voluntatem directè. Exercet voluntas imperium in potentias sibi subiectas, illas applicando ad operandum, cui tenentur ex vi sympatiæ, eò quod radicentur in eadem anima. Circa impossibile cognitum quà tale, potest dari simplex complacentia, & volitio inefficax, in qua potest esse peccatum.

Inten-

Intentio finis, eſt cauſa efficiens moralis electionis mediorum. Electio ſubſtantialiter eſt actus voluntatis præſupponens conſilium, quod tantùm eſt de mediis. Poteſt voluntas ex duobus mediis æquè vtilibus eligere quodlibet, & ex duobus inæqualiter vtilibus.

De Bonitate & Malitia Actuum Humanorum.

AD moralitatem actûs, requiritur libertas ſaltem contradictionis, quæ moralitas conſiſtit formaliter, in entitate Phyſica actûs liberi connotans honeſtatem, vel inhoneſtatem obiecti. Prima regula moralitatis, eſt lex æterna, proxima verò, dictamen rectæ rationis, ut legi æternæ ſubordinatum Actio conſiderata in eſſe moris, deſumit primam bonitatem, vel malitiam ex obiecto, quæ eſt in ſpecie atoma. Actus humanus haurit bonitatem, vel malitiam etiam ex circumſtantiis; quæ ſi tribuant primam ſpeciem bonitatis aut malitiæ actibus, iam non ſunt circumſtantiæ, ſed differentiæ eſſentiales obiecti. Actus electus propter bonum finem, habet duplicem bonitatem, alteram ex obiecto bono, & alteram ex fine bono: ex obiecto ſubſtantialem & primariam, ex fine, accidentalem & minus principalem. Nullus actus poteſt eſſe bonus ex obiecto, & malus ex fine, vel è conuerſo. Intentio finis boni, poteſt vitiari per prauam electionem, & idem numero actus elicitus voluntatis, poteſt migrare de bono in malum moraliter, & è conuerſo. Dantur actus naturales indifferentes ſecundùm ſpeciem, non item ſupernaturales; ſicut nec ullus poteſt dari actus humanus per ſe indifferens in indiuiduo, benè verò per accidens. Bonitas & malitia formalis,

primariò & intrinſecè conuenit actibus internis, ſecundariò autem & extrinſecè actibus externis, licet in utriſq; ſit eadem numero.

De Conſcientia.

COnſcientia, eſt quædam participatio, ac impreſſio legis æternæ, quâ proximè regulantur actus humani, intùs ſuggerendo & indicando, quid proſequi, vel fugere debeamus. Formaliter conſiſtit, in actu practico intellectûs, quo iudicatur hîc & nunc penſatis circumſtantiis, quid agendum vel fugiendum ſit. Obligatio ſequendi rectam Conſcientiam, non eſt à Deo diſpenſabilis: peccatum tamen ſpeciale non eſt, agere contra ipſam. Conſcientia Erronea inuincibilis non depoſita, dictans aliquid ut præceptum, aut prohibitum, obligat ſub peccato, ad operandum conformiter ad ipſam, ſecùs ſi proponat aliquid per modum conſilij. Ex duabus ſententiis æquè probabilibus & tutis, quælibet eligi poteſt: In Sacramentorum adminiſtratione, miniſter non poteſt uti ſententiâ minus probabili, relictâ probabiliori & tutiori, propter periculum inualiditatis Sacramenti. Cum dubio practico, non eſt licitum operari ſecundùm Conſcientiam, licitum autem cum ſpeculatiuo, modò ſit practicè certus, de bonitate aut malitia actionis. In materia iuſtitiæ, poſſeſſio bonæ fidei, eſt ſufficiens titulus, ad deponendam Conſcientiam dubiam, & formandi conſcientiam rectam. Peccata mortalia dubia, neceſſariò ſunt confitenda. Contra ſcrupuloſam Conſcientiam operari, eſt licitum; cùm hæc non importet formaliter & intrinſecè iudicium, ſed apprehenſionem tantùm de malitia actionis, cùm timore illam committendi.

De

De Habitibus Supernaturalibus.

HAbitus Supernaturales per ſe infuſi, ſunt proprietates gratiæ ſanctificantis, & quaſi potentiæ ipſi collatæ ad operandum; & ſicut hæc à ſolo DEO, ut à cauſa principali produci poteſt, ita ſupernaturales habitus à ſolo Deo infundi valent, & ita quidem, ut nullatenus actibus ſupernaturalibus produci poſſint. Experientiâ compertum eſt, hominem iuſtum, exercitio actuum virtutum ſupernaturalium, acquirere maiorem facilitatem, eliciendi actus ſimiles, quàm ab initio non ſenſit, hæc tamen facilitas non prouenit ab habitibus per ſe infuſis, à quibus actus illi eliciuntur, quia ab initio non obſtantibus habitibus infuſis, habuit homo difficultatem, in illis actibus eliciendis: adſcribenda ergo eſt, alicui habitui acquiſito, vel ſupernaturali, vel naturali: quàmvis etiam probabilitèr dici poſſit, illam provenire ab habitibus per ſe infuſis, qui exercitio actuum ſupernaturalium, continuò magis ac magis augentur meritoriè, ratione cuius augmenti, maiorem homo facilitatem ſentit, in eliciendis actibus ſupernaturalibus.

De Virtutibus Moralibus.

VIrtutes, quæ paſſiones noſtras ad debitam mediocritatem, iuxta rectæ rationis regulas, cum lucro ſalutis æternæ conſequendæ reducunt, ita ſunt determinatæ ad actus honeſtos, ut non poſſint influere in malos Non ſolùm in voluntate hominis, ſed etiam Angeli admittendæ ſunt virtutes morales per ſe infuſæ. Cardinales quatuor numerantur, ſecundùm quatuor hominis potentias. Prudentia diſcutit ea, quæ per errorem fallere poſſunt. Iuſti-

tia ſervat æqualitatem in operationibus erga alterum : Hujus novem aſſignantur partes potentiales, Religio, Pietas, Pœnitentia, Obſervantia, Gratitudo, Veritas, Vindicatio, Liberalitas, & Amicitia : conveniunt cùm juſtitia in hoc ; quod ordinentur ad alterum, & reddant aliquomodo alteri debitum : deficiunt à ratione ſtrictæ juſtitiæ eò ; quod non cadant ſub rigoroſum debitum, ſed morale tantùm. Temperantia reprimit paſſiones partis concupiſcibilis. Quatuor exigit ſubjectivas partes, Abſtinentiam, Sobrietatem, Pudicitiam & Caſtitatem. Fortitudo moderatur paſſiones partis iraſcibilis, circa ardua pericula, idq; Magnanimitate & Magnificentiâ, Patientiâ & Perſeverantiâ. Præter virtutes morales naturales acquiſitas, dantur aliæ morales per ſe infuſæ in juſtificatis, reſpicientes eandem materiam cum acquiſitis, ex motivo tamen ſupernaturali. Omnes ſunt connexæ cum gratia & charitate, ita ut ſine ipſa, non poſſint habere rationem veræ & perfectæ virtutis, in ſtatu naturæ lapſæ.

De Vitiis & Peccatis.

VItia opponuntur virtutibus acquiſitis oppoſitione contrariâ propriè dictâ, unde poſſunt eſſe ſimul in gradibus remiſſis. Omne peccatum eſt diſconveniens naturæ humanæ, ut rationalis eſt. Rectè definitur peccatum à S. P. Aug. lib. 22. contra Fauſtum c. 27. quod ſit dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam, idcircò eſſentiale eſt cuilibet peccato, quod ſit contra legem æternam, quod ſit injuria & offenſa Dei. Non repugnat pura omiſſio libera & moraliter mala, absque omni

actu,

actu. Actus qui est causa omissionis malæ, eandem specie malitiam habet, quàm ipsa omissio. Constitutivum peccati commissionis est quid positivum, nempè ipsa Substantia actûs peccaminosi, in recto & formalitèr, connotando in obliquo obiectum lege negativa prohibitum. Inter peccatum Mortale & Veniale est discrimen ex natura rei, non ex sola extrinseca lege, aut Voluntate Dei, ex eo scilicet, quod peccatum mortale involvat contemptum virtualem Dei ultimi finis, postponendo eum creaturæ, in qua affectivè constituit ultimum finem, non item veniale. Ad mortale peccatum præter obiectum de se grave, requiritur notabilis quantitas, non tamen in omnibus peccatis, item advertentia malitiæ moralis, ac denique consensus saltèm virtualis. Ex pluribus peccatis venialibus non potest fieri unum mortale. Peccatum habituale consistit formalitèr in ipso peccato actuali præterito, moralitèr autem permanente. Non sunt æqualia inter se peccata, quorum essentialis causæ qualitas ex obiecto desumenda est, ex inæqualitate virtutum quibus opponuntur, & non rarò ex circumstantiis. Deus nequit esse causa malitiæ moralis peccaminosæ, concurrit verò cum voluntate creata concursu simultaneo ad physicam entitatem actûs peccaminosi. Infantes in ipso conceptionis instanti, contrahunt ex Adam peccatum originale, & in eo nascuntur. Solâ institutione Divinâ factum est, ut voluntas Adæ fieret voluntas omnium posterorum, quòad effectum conservandi, vel amittendi iustitiam originalem. Peccatum originale consistit formaliter in privatione gratiæ sanctifi-

 cantis,

cantis, ut ſanctificans eſt. Homo per peccatum originale fuit ſpoliatus, tantùm donis ſupernaturalibus.

De Gratia.

GRatia rectè definitur, eſſe donum ſupernaturale à Deo datum ex meritis Chriſti. Status puræ naturæ eſt poſſibilis. Non poteſt homo cognoſcere in ſtatu naturæ lapſæ abſq; gratia omnes veritates naturales collectivè ſumptas, multòminus ſupernaturales. Sine gratia nequit homo lapſus amare Deum ſuper omnia, nec obſervare præcepta omnia naturalia quòad ſubſtantiam longo tempore, nec vitare omnia peccata venialia collectivè ſumpta. Ad perſeverandum in gratia usq; ad mortem, requiritur ſpeciale donum à gratia habituali diſtinctum. Gratia habitualis realiter diſtinguitur à charitate, inhæret animæ intrinſecè. Virtutes infuſæ, non dimanant à gratia habituali per veram actionem, ſed ſimul cum gratia infunduntur. Auxilia actualia prævenientia, & excitantia conſiſtunt in actibus ſubitis & indeliberatis. Dantur omnibus auxilia ſufficientia. Solus Deus eſt cauſa principalis gratiæ, quæ nec propriè creatur, nec concreatur, ſed de potentia obedientiali animæ educitur. Nullus ſeclusâ revelatione poteſt eſſe certus, ſe eſſe in gratia.

De effectibus Gratiæ.

IN iuſtificatione peccatoris verè delentur peccata, per gratiam inhærentem, quæ ex intrinſeca ſua natura eſt forma expulſiua peccati, cùm quo, nec de potentia abſoluta poteſt eſſe ſimul in eadem anima. Actus charitatis & contritionis, nequit eſſe cauſa formalis iuſtificationis. Poteſt

de po-

de potentia Dei abſoluta, deſtrui peccatum habituale, ſine omni actu retractativo peccatoris. Ad iuſtificationẽ peccatoris adulti, præter fidem, requiruntur actus aliarum Virtutum, ſcilicet ſpei, timoris, pænitentiæ, charitatis, non quibus gratiam mereatur, ſed quibus ad illam recipiendam ſe diſponat. Homo iuſtus, bonis operibus in gratia factis verè meretur vitam æternam; pura omiſſio non poteſt eſſe meritoria: actus virtutis moralis acquiſitæ elicitus ab homine iuſto, ſine ordinatione ſaltèm virtuali in finem ſupernaturalem, non ſufficit ad meritum vitæ æternæ. Retributio meriti in Deo, eſt actus iuſtitiæ diſtributivæ, habentis aliquem modum iuſtitiæ commutativæ. Nullus poteſt de condigno mereri ſibi primam gratiam.

EX SECVNDA SECVNDÆ.

De Virtutibus Theologicis.

FIdes Theologica, eſt primum vitæ Spiritualis fundamentum. Reſpicit pro obiecto formali *quod* ipſum Deum ſub ratione veritatis in eſſendo; ratio verò eius motiva formalis *ſub qua* eſt veritas in dicendo, prout connotat veritatem primam in cognoſcendo. Revelatio actualis Dei, ingreditur rationem obiecti formalis motivi Fidei inadæquatè; Eccleſiæ authoritas non: Fidei enim aſſenſus, ultimò reſolvitur in primam veritatem revelantem, tanquã in rationem motivam credendi, & in Eccleſiæ authoritatem tantùm, ut in regulam applicantem. Non poteſt ſubeſſe falſum obiecto Fidei, etiam ex parte credentis. Actus internus Fidei ſupernaturalis, eſt neceſſarius ſimpliciter ad

conſe.

consequendam salutem. Utrum autem de potentia absoluta possit homo iustificari, & salvari, absque omni actu Fidei Theologicæ; affirmativè decidimus: sicut potest destrui peccatum de potentia Dei absoluta, absque omni actu & dispositione peccatoris. Fides explicita existentiæ Dei, & Remuneratoris, in omni statu fuit simplicitèr necessaria ad iustificationem & salutem. Mysterium TRINITATIS & INCARNATIONIS necessariò credi debet explicitè, post promulgationem legis Evangelicæ. Negare fidem externè non est licitum, immò nec simulare falsam religionem, fides enim exigit à nobis officium cordis & linguæ secundùm *P. Augustinum.* Spes Theologica, quæ est desiderium efficax boni ardui & futuri, pro obiecto primario *quod* habet Deum ipsum; non excludit tamen à ratione motiva, visionem beatificam. Omnipotentia Dei ut auxilians, est ratio formalis sub qua speratur summum bonum. Nemo potest alteri sperare beatitudinem. Suppositâ revelatione, de damnatione, desperatio non est licita, si hæc importet actum positivum, quo receditur à beatitudine assequenda, reducendo illius non consecutionem in defectum Divinæ misericordiæ. Charitas Virtutum excellentissima, bonum supernaturale infinitum in omni genere, habet pro objecto formali primario; proximum pro secundario. Augetur intensivè per actus nostros supernaturales, tàm intensiores habitu, quàm æquales, atque remissos, non physicè & efficienter, sed moraliter & meritoriè.

EX

EX TERTIA PARTE.

De Ineffabili Incarnationis Myſterio.

OFfenſa per peccatum mortale Deo illata, eſt ſimpliciter infinita, pro qua quia homo purus, non potuit condignam exhibere ſatisfactionem, neceſſe erat Verbum Divinum incarnari. Opera Chriſti Domini ex ſe ab intrinſeco fuerunt infiniti valoris, ac proinde ſatisfactio Chriſti pro peccatis generis humani, fuit actus rigoroſæ iuſtitiæ. Si homo non peccaſſet, Verbum Divinum non fuiſſet incarnatum. Vi præſentis decreti, exiſtentibus actualibus peccatis, & non exiſtente originali, Chriſtus non veniſſet. Unio hypoſtatica fuit facta in Perſona, poſt quam manſerunt in Chriſto duæ naturæ, Divina ſcilicet & humana, & una Perſona Divina. Unio hypoſtatica eſt modus Subſtantialis diſtinctus realiter modaliter à Perſona Verbi & humanitate: terminus formalis actionis incarnandi, eſt unio humanitatis ad Verbum, non Perſona Verbi. Antiqui Patres non meruerunt Incarnationem quòad Subſtantiam etiam ordine executionis, nec Beatiſſima Virgo meruit de condigno dignitatem Matris Dei, ſed tantùm de congruo. Verbum Divinum terminat humanitatem Chriſti ratione ſolius ſubſiſtentiæ relativæ. Poſſunt tres Perſonæ Divinæ eandem naturam creatam ſimul immediatè terminare. Natura Angelica, irrationalis completa, potuit aſſumi à Verbo, non potuit autem aſſumi à Verbo ulla natura creata retinens propriam ſubſiſtentiam. Verbum Divinum aſſumpſit verum corpus, animam rationalem, & ſanguinem naturalem immediatè. Fuit in anima Chriſti gratia habitualis finita, quâ non indiguit ad formalem ſui ſanctifica-

tionem, ſed ad connaturalem exiſtentiam habituum ſupernaturalium, & ut in ipſo eſſet connaturale principium effectivum actuum meritoriorum. Perſonalitas Verbi ſecundùm eſſe relativum, ſanctificat formaliter animam Chriſti. Virtutes morales acquiſitæ fuerunt in anima Chriſti, item Virtutes per ſe infuſæ, non autem Fides Theologica, nec ſpes, nec virtus pænitentiæ, ac denique habuit Chriſtus dona Spiritûs Sancti quòad habitus & aliquos actus, necnō gratias gratis datas excellētiſſimo modo. Chriſtus eſt caput Eccleſiæ per gratiam habitualem ut formam proximam. In intellectu Chriſti fuit Scientia creata, perfecta, cum qua non potuit ſtare error, aut ignorantia. Anima Chriſti Domini ab inſtanti conceptionis, vidit intuitivè Eſſentiam Divinam. Per ſcientiam beatam cognovit in Verbo omnia præſentia, præterita, & futura, & infinita. Præter ſcientiam beatam, habuit Chriſtus ſcientiam per ſe infuſam, per quam cognovit omnia obiecta naturalia diſtinctè, immò & omnia dona ſupernaturalia, futura contingentia, cogitationes cordium, quâ ſcientiâ potuit uti, ſine converſione ad phantaſmata Præter illas ſcientias, habuit etiam Chriſtus Dominus, Scientiam per ſe acquiſitam, & experimentalem. Humanitas Chriſti etiam ſemotâ beatitudine, non potuit peccare de potentia abſoluta Voluntas Chriſti in amplectenda morte præcepta, non ſolùm fuit libera à coactione, ſed etiam à neceſſitate. Chriſtus meruit in primo inſtanti conceptionis. Humanitas Chriſti potuit mereri Unionem hypoſtaticam per opera naturæ ordine præcedentia, non per ſubſequentia: ſibi non meruit gratiam habitualem, aut beatitudinem, ſed nobis.

De

De Sacramentis in Communi.

SAcramentum rectè definitur: Signum ſenſibile rei inſenſibilis; omnia Sacramenta novæ legis componuntur ex verbis & rebus, tanquam ex materia & forma, ut partibus eſſentialibus. Mutatio eſſentialis materiæ aut formæ, reddit Sacramentum invalidum. Sacramenta novæ legis conferunt gratiam ex opere operato, phyſicè inſtrumentaliter, quæ ſupra habitualem ſuperaddit ius ad ſpecialia auxilia, ad actiones Sacramentales exercendas neceſſaria. Quædam Sacramenta imprimunt characterem, indebilem, cuius ſubiectum proximum eſt intellectus practicus. Solus Chriſtus omnia novæ legis Sacramenta inſtituit. Solus homo de lege ordinaria eſt Miniſter Sacramentorum. Ad valorem Sacramenti requiritur intentio Miniſtri, ſaltèm virtualis. Septem ſunt novæ legis Sacramenta, Baptiſmus, Confirmatio, Ordo, Pænitentia, Euchariſtia, Extrema Unctio, & Matrimonium: ordine perfectionis Euchariſtia primum locum tenet, Baptiſmus ordine neceſſitatis prior eſt.

De Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.

Poſt conſecrationẽ panis & vini, ſub ſpeciebus eorũ continetur Chriſtus Dominus, verus Deus & homo, ad cuius præſentiam omnino deſtruitur tota Subſtantia panis & vini. Nec ſpecies Sacramentales ſolæ, nec ſolum Chriſti corpus, ſed ambo ſimul componunt intrinſecè Euchariſtiæ Sacramentum, ad cuius eſſentiam, verba conſecrationis pertinent intrinſecè tanquàm forma: tranſubſtantiatio autem, nullatenus eſt pars eſſentialis Euchariſtiæ, nec ſumptio. Materia primæ conſecrationis, eſt panis triticeus,

ceus, secundæ vinum ex vite: aqua modica vino mixta, convertitur in Sanguinem Christi.

De Pœnitentia.

LAvacrum regenerationis, quo coaptamur in sortem filiorum Dei, est Pænitentia, secunda post naufragium tabula; Alia est, quæ habet rationem virtutis & non Sacramenti, & hæc definitur; quod sit habitus quidam, inclinans hominem ad detestationem peccati, cum efficaci voluntate satisfaciendi Deo, per illud offenso. Est Virtus specialis distincta à Charitate & Religione; Obiectum materiale virtutis Pænitentiæ, est peccatum, ut offensa Dei per satisfactionem destruibilis; Formale verò, ius Divinum læsum. ut reparabile per satisfactionem. Sacramentum Pænitentiæ est institutũ à Christo post resurrectionem. Absolutio Sacerdotis, & actus pænitentis, sunt partes intrinsecæ huius Sacramenti, quod est necessarium necessitate medii, ad delenda peccata, in re vel in voto. Contritio, infallibilem habet connexionem cum remissione peccatorum, ante susceptionem actualem Sacramenti Pænitentiæ. Peccata semel remissa per pænitentiam, non redeunt simpliciter quòad esse physicum, nec quòad modum essendi moralem. Confessio potest esse aliquando informis & valida. Sub sigillum Confessionis cadunt omnia peccata tàm mortalia quàm venialia. & circumstantiæ eorum. Satisfactio, quæ est pars integralis Sacramenti Pænitentiæ, quatuor requirit Conditiones; ex parte satisfacientis, Gratiam, & statum viæ; ex parte operis, libertatem; Acceptationẽ verò seu voluntatem remittendi reatum pænæ, intuitu talis operis ex parte Dei.

Cui honor & gloria in sæcula.

